

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 907

**Auteur(s)** : Robert de Torigni, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

**Bénéficiaire(s)** : Robert de Meistenon, Bayeux (sous-doyen)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1165, 9 mai

**Lieu d'émission** : Le Mont-Saint-Michel

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Robert, abbé du Mont Saint-Michel, rend compte d'une composition à l'amiable entre lui-même et Robert de Meistenon, au sujet de dîmes de la prébende d'Albray.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CXVI, t. 1, p. 140-142.

Texte établi d'après a

Robertus, abbas Sancti Michaelis de Periculo maris, et ejusdem loci conventus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis in Christo, salutem. Notum vobis fieri volumus quod, cum diutius agitata esset controversia inter nos et Robertum de Mestene, subdecanum ecclesiæ Baiocensis, super quibusdam decimis de territorio de Alebraio, quas nos ad monasterium nostrum, subdecanus vero ad jus præbendæ suæ dicebat pertinere, in hunc modum facta est compositio. Subdecanus siquidem, vel quivis alius qui post eum habiturus est præbendam de Alebraio, non dabit decimas de tota terra, videlicet de quinque acris, et dimidia, et dimidia virgata, quæ nunc ibi continentur intra fossata quæ claudunt masuagium suum, videlicet, curtem suam, et novum virgultum, et vetus, et vineam, quocumque modo terra illa excolatur, de instauramentis etiam suis, sive nutrimentis, non dabit decimas, neque de lana, neque de caseis, neque omnino de aliquibus quæ sint sua propria, sive habeat ea penes se infra curtem suam, sive extra, in territorio illius præbendæ. Si autem subdecanus terram illam clausam fossatis, totam vel pro parte concesserit alicui excolendam, sive ut ibi constituat domicilium, sive ad tempus habitationem, sive neutrum, habebit ipse subdecanus omnes decimas de terra ; de animalibus vero, quæ non erunt propria subdecani, etiam si ibi demorentur, habebimus omnes decimas ; de tota etiam terra præbendæ, quæ nunc est extra prædicta fossata, et de omnibus aliis, sive pecudibus, sive pomis, sive lana, sive cæteris de quibus solvuntur decimæ, habebimus universas decimas, et etiam si subdecanus, vel alius qui post eum habiturus est eam præbendam, de terra, quæ nunc est extra fossata quæ nunc sunt, augmentaverit masuagium suum ; de illo augmento habebimus omnes decimas. Subdecanus etiam a nobis habebit, singulis annis, viginti solidos Andegavensis monetæ, vel Rothomagensis, vel æque valentis, si, præter has duas, contigerit aliam currere in Normannia, antequam permittat servientem nostrum colligere decimas frugum, vel deferre de terra sua. Hæc autem compositio inita fuit sub pacto facto in rem, non in personam, ut in perpetuum teneat inter nos et quemlibet canonicum de Alebraio. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto, septimo idus maii ; præside universali catholicæ Ecclesiæ Alexandro papa III ; regnante Henrico, glorioso rege Anglorum, et duce Normanniæ et Aquitaniæ, et

comite Andegaviæ ; in capitulo beati Michaelis de periculo maris ; istis præsentibus ex parte nostra : me Roberto, abbate ; Radulfo de Folcherevilla, ballivo monasterii ; Willelmo de Salesburia, capellano ; Raginaldo de Sancto Johanne, monachis ; Boselino, sacerdote ; Michaele, clerico ; Graverio de Ebreceio, Rualendo de Genez ; Bosone de Sancto Laudo ; Ricardo de Bosco ; ex parte Baiocensis capituli: Willelmo, decano ; magistro Hunfrido Bove ; Patricio, archidiacono ; Rogero, archidiacono ; Thoma, archidiacono ; Galerano, archidiacono ; Willelmo, custode ; Ricardo, succentore ; Guillelmo de Broleio ; magistro Herberto ; Ricardo de Ros ; Bartholomæo ; Helya de Sancto Georgio.